

S. ERICVS SVETIAE REX.



SANCTUS Ericus nobilissimi uiri Iaduardi filius
Sextitit. Huic Ingo rex Suetiæ ob plurimas cor-
poris & animi uirtutes Christinam unicam filiam
uxorem dedit. Vnde post soceri funera Sueonum
rex electus est, anno Christi 1150. Erant autem tum
ubiq; tempora periculosa atque omnia bellis & se-
ditionibus concitata. Verùm Ericus inter suos ma-
gna clemētia pacem restituit, atq; subditos omnes
instar filiorum dilexit. Sæpius enim eis dixit: Mihi
mea sufficiunt, uobis uestra sunt salua. Itaq; leges
adeò tolerabiles & benignas tulit, ut non à rege in-
ciues, sed ab indulgētissimo patre in charissimos li-
beros excogitatę crederentur, ad quas etiam no-

stris temporibus iniustē oppressi, perinde atq; ad unicum suæ innocentię præ-
sidium recurrunt.